

Hæc insignia Ed: Laurentij *ex antiquissima*
Laurentiorũ *Durotrigensium* Familia P.P. DDD.



Hæc insignia Ed: Laurentij *ex antiquissima*
Laurentiorũ *Durotrigensium* Familia P.P. DDD.

10

Oratio Secunda Anniverſaria

IN HONOREM

SERENISSIMI, PIENTISSIMI,

Ac Potentiſsimi noſtri Principis,

OLIVARI,

Prout nuper habita eſt *Weſtmonaſt.*
in *ÆDIBUS ANCRUMIANIS.*

Unà cum *ODE* quæ per dom. *Hengiſtonum*
cum Suis ibidem, decantabatur.

AMBÆ QUE

JUVENUM SPECTATISSIMO

EDOARDO LAURENTIO,

De vetuſtiſsima *Laurentiorum* Familia
DEDICATÆ.

Quibus acceßit,

In Authoris Patrem nuperrimè ſepultum,
c. EPITAPHIUM,

Per Amicum.

Non est inventum

LONDINI,
Typis *J. G.* & væn. per *Edoardum Blackmore* ad inſigne
Angeli in divi *Pauli* Cœmeterii.
M DC LVII.

Oratio Secunda Anniversaria

IN HONOREM

SERENISSIMI, PIENTISSIMI,

Ac Potentissimi nostri Principis,

OLIVARI,

Prout nuper habita est Westmonast.

in ÆDIBUS ANCRUMIANIS.

Una cum ODE *quæ per dom. Hengistonum cum Suis ibidem, decantabatur.*

AMEÆQUE

JUVENUM SPECTATISSIMO

EDOARDO LAURENTIO,

De vetustissima Laurentiorum Familia

DEDICATÆ.

Quibus accessit,

In Authoris Patrem nuperrime sepultum,

EPITAPHIUM,

Per Amicum.

LONDINI,

Typis J. G. & vxn. per Edoardum Blackmore ad insigne Angeli in divi Pauli Cœmeterii.

M DC LVII.

SPECTATISSIMO,

CLARISSIMOQUE JUVENI,

Omnimodis Eruditionis, morum,

Literarumque dotibus ornatiſſimo,

Et inter hujus Seculi Coætaneos

quotquot Coryphæo,

EDOARDO LAURENTIO,

De Diva Margareta, juxta *Stanſteid*

in Agro *Hartford*,

Sed olim ex antiquiſsima *Laurentiorum* familia

Durotrigenſium,

Altero ex Membris ad Senatum delegatis;

Filio & Heredi Cordatiſſimi Herois *Henrici Laurentii*,

Sanctioris Concilii Dom. Præſidis.

Salve magnorum Proles generoſa parentum,
De priſcis Illuſtris avis! Qui ſtemata adæquas
Tot meritis, EDOARDE, *tuis; & moribus annos*
Anticipas, canumq; Senem prævertis Ephebus.

Scilicet Heroâ *Temet de* Matre *cadentem*
Æonidum *cepêre ſinus, atque ubera labris*
Admôrunt, parvóque dedit mirabile Pallas
Ingenium, & ſolidis ſinxit Præcordia fibris.
Unde Tibi Muſæ plauſere, & tota receſſus
Juxta ædes perantiquas Laurentiorum. *Pandit* Cyrrha *ſuos; ſtupuitq; Ammellia magna,*
Et nova Stanstiadæ *Cortina remugijt oræ.*
Nec potiore frui poterant optaſſe Patrono
Doctorum ſtudioſa cohors; Cui *corde ſub uno*
Tot dotes, & corda cluunt; ceu Magna *latere*
Mole ſub exigua *vellet Natura, recondi*
Et ſimul immenſos ſub eodem pectore mundos.
Nempe Polyglottes, *variis ſermonibus uti*
Ipſe potes, parvoque Soni diſcrimine, tanquam
Accola longinquas audire & reddere voces.
Tu pius Hebraicam *calles in origine myſtam;*
Et ſimul Argivi *noviſti Scripta* Lycæi
Græculus, *& priſcæ potaſti flumina Suadæ.*
Te bene verſantem Tuſcæ compendia linguæ
Ittalus *attonitus miratur*; Gallica *pubes*
Te putat indigenam totum; plauditque loquenti
Ceu Genio Romana *ſuo*; Batavuſque *Latinis*
Jungitur, & primi partem ſibi vendicat ævi.
Nec ſatis eſt varias diſtincto idiomate voces,
Vel multos noviſſe Libros; Tu Corda virorum
Judicio meliore capis, dudumque, quot urbes

Et

Et loca vidiſti, mores ſub mente locorum
Tot premis, & proprios prudens convertis in uſus.
Hinc teneris prætextatus Papyrius *annis*
Atq; Ætate Puer, *magnum de Jure Senatum*
Ingrederis, Gravitate Pater, *loqueriſque tot inter*
Primores, ſoluſque audis Imberbis Apollo.
Nec ſubciſivas conſumis prodigus horas,
Aut unam ſine luce diem. Nam quicquid avaris
Temporis aufertur ſtudiis, ſibi Muſica *ſacra*
Poſcit, ab experto tractari læta Magiſtro.
Mox aliâ vegetas exerces indole vires;
Quodque enervati duros duxere labores,
Hoc totum Tibi luſus erat; Qui pulvere poſſis
Vexatas torquere pilas; Enſiſque *peritus,*
Cautior attonitos proprio velut enſe laniſtas
Obruis, intentos eludens ictibus ictus.
Inde refulgentes facilis moderaris habenas
Magnanimo ſublatus Equo: nunc fræna remittis
Laxa reluctanti, & ferratâ calce laceſſis;
Nunc circo breviore rotans in pulvere, anheli
Gnarâ, Edoarde, *manu rapidis premis ora lupa-*
Et caſtigato obliquas veſtigia Collo. (*tis,*
Sic cum fratre tuo parvo Polluce *mereris*
Caſtoris *Elogium, geniũ Qui* Caſtoris *æquas.*
Si dominus legeretur Equis, Eous *&* Æthon
Et Pyroeis, *ſternaxque* Phlegon *temone relicto*

Innuit fratrem Henricum, &c.

Qua-

Epiſtola Nuncupatoria.

Quadrijugo, peterent à Te te, EDOARDE, *magiſtro*
Non alio Phaetonte *regi ; Cui* Cyllarus *ingens*
Inclinaret ovans, tanto & Seſſore ſuperbus
Bellerophontæas *indignaretur habenas.*
O ſecli Coryphæe Tui ; Quem munera tanta
Corporis atq; animi cumulant, magnũq; loquuntur.
Quid potuit Cultura *magis ?* Natura *quid iſtis*
Amplius ? inſtructum quæ Te tot dotibus unum
Edidit, auguſtis quaſi deſignaverat actis.

Quod vaticinatur

Tibi devotiſsimus,

P. Piſcator.

ODE
GRATULATORIA

Pro fruſtratione nuperæ Conjurationis prout à Dom. *Hengiſtono* cum ſuis in *Albæ-aulæ* Amphitheatro, vulgò *The Cock-pit*, Feb. 20mo. *MDCLVII.* Decantata eſt.

AVdite Gentes, & ſtupete
Scelus, *quod vel ipſi* Getæ,
Et Turcæ *velint deprecari*;
Scelus, *prius haud inventum,*
Molitum nuper, & intentum
In ſacri Caput OLIVARI.

OLI-

OLIVARI, *cujus vultus*
Formidandos non inultus
Infandus feret Fabricator;
Nec Alonſo, *qui tot Malis,*
Fomenta dedit, nec venalis
Ille trux Aſſaſsinator.

Nam quale nefas excerandum!
Chriſticolis nec nominandum
In celſum caput conjurare
Supremi Principis! & trina
Regna, parili Ruina
Ceu corpus unum tumulare!

Sed Machinæ jam ceciderunt,
Et retrò fraudes abiêrunt
In Styga, de quâ ſeminatæ;
Æternas ergo laudes DEI
Accinite, & Grates EI
Uſq; & uſq; Jubilate.

Jubilate.

Jubilate, &c.

ILLUSTRISSIMI PROCONSULARES;

HONORATISSIMI MAGNI SIGILLI CUSTODES;

FORTISSIMI DUCES ARMORVM,

ET

PROVINCIARVM PRIMORES;

PRÆCLARISSIMI HEROES,

ET

SENATORES,

Et vos omnes in hoc cœtu quotquot eruditiores,

Salvete.

Difficile est (inquit Orator) silere cùm doleas; & difficilius non loqui lætitiâ gestientibus. *Crœsi* filio, quem mutum mater ediderat, vocem vehementior affectus excusit; Et ferunt *Eglyn* Athletam quendam *Sami* priùs elinguem, in-

dignationem prærepti tituli, præmiique prorsùs interversi, vocalem reddidisse. Quod si (auditores ornatissimi) tantilla res adeo commoverat affectus *Ethnicorum*, & loquelam vel ab elinguibus extorsit, quantò tum nobis *Christianis* vitio verteretur, in occasione tam solenni tacuisse? Et quis certè jam taceret, ubi vel inanimata vocalibus velut indiciis hujusce *Diei* celebritatem visa promulgâsse? Ecce Faces per compita lucentes, flammis eminùs scintillantibus Cœlo gaudium manifestârunt. Idem Tympana præcinuerunt; Idem Tormenta reboârunt; nec in tanta festivitate sonoræ poterant Campanæ siluisse. Ea denique lætitiæ passim præludia præsentibus aggratulantur auspiciis, quasi *Senatus* suum moderatorem, *miles* suum ducem, *cives* suum defensorem viderentur excepisse.

--- Stimulos dabit æmula virtus,

Quibus instigatus ego (perillustres auditores) in hoc publicum prodii suggestum, publicæ gratulationis orator. Quare si Rem magnam videritis tenuiter expressam, hoc meum sit; sed si tenuem oratiunculam supra vires videritis elevatam, hoc omnino tanto debebitur ARGUMENTO. Argumentum sanè tam sublime, ut in eo discutiendo vel ipse

Tullius

Tullius foret hîc indiſertus, imò vel *indiſertus* hic quiſque, *Tullius* alter haberetur. Hoc eſt quod conſopitum ſuſcitavit Genium, & ad hanc ſuſcipiendam provinciam fidentiùs animavit. Tanta tamen aggredientem unica me circumcingit ſolicitudo, ne dum principis invictiſsimi virtutes prædicavero, verecundiam veris etiam laudibus offendam. Legimus *Germanicum* ante prælium in *Chattos*, opertum ferina pelle ne noſceretur, appropinquaſſe noctu militum tabernaculis, ut opinionem de ſe conceptam in tenebris ſubriperet: adeò tenerrimè proprias laudes admittunt qui maxime meruerunt. In quorum Catalogo cum tu primus emineas *OLIVARE*, princeps auguſtiſsime, ſinas obſecro ſequaces has hederas proſerpere inter laureatos *Celſitudinis* veſtræ triumphos. Sinas obſecro, & exiguam ſenſibus injunge patientiam: nam ſi ſit in proſperis, fœlix ærumnarum Recordatio, ſi nautas tempeſtatum, ſi medicos morborum juvet reminiſci, cur tu etiam non mala noſtra patienter audias ut Beneficia Tua recognoſcas? Et certè longum eſt recenſere beneficia quæ de tali Principe promanarunt; ita mole magnifica, ita numero ſunt infinita, ut quum ſingula narraſſe putaverim, plura tamen reſtiterint enarranda. Ille nimirum eſt (Auditores)

qui *Britanniæ* dudum caliganti salutare Sydus illuxit, & ingruentium calamitatum nimbos virtutum serenitate discussit. *Ille* est qui *Trojam* nostram à Bello plusquam Decennali liberavit, & fluctuantem Rempublicam in tutissimo portu constituit. *Ille* demùm est, qui tantam fortitudinem, tantamq; fidem, tam rebus anteactis quàm præsentibus expressit, ut dolendum sanè sit *Angliæ*, non quòd Gubernatores *Nuperos* tam diu tulerat, sed quod gubernatore *novo* tam serò frueretur.

Et hic est fundus nostræ securitatis; neque enim magis Oceani Gurgite quam terrore nominis *OLIVARI* circummunimur. Quod *Adrianus* olim de *Commodo* adoptivo gravi cum dolore dixisse fertur, *In caducum parietem incumbimus*; nos hujusce metus Immunes tutius exultabimus: quandoquidem non caduco parieti, sed Rupi fortissimæ, muroq; velut aheneo Imperii pondus innitatur. In ventos enim prorsus evanuit umbratilis ille nimbus qui nobis diu minitatus est; nam quamvis in dissolutione nuperarum Potestatum nonnulli commovebantur, æquum tamen fuit ut aliquandiu nonnulli commoverentur, ut omnes in posterum sedatiùs acquiescerent. Ac sicut Cœli, Marisq; serenum turbines & procellæ commendant,

sic

ſic ad augendum præſentis tranquillitatis ſudum, motus illi viſi præceſsiſſe. Habet eas res mortalium viciſsitudines, ut adverſa ex ſecundis & ſecunda rurſus ex adverſis noſcerentur. Et hæc eſt ratio quæ te *Principem* publicis præfecit; Illa neceſsitas, quæ gubernaculo Te *Typhin* admovebat. Fractus & diſſolutus Reipublicæ cardo eſt, ut Tu Reparator accederes; Corrupta Caſtrorum diſciplina eſt, ut tu corrector contingeres; Productum peſsimum exemplum eſt, ut optimum tandē proponeretur. O Fœlicem verè *Britanniam*, quæ tantum fœlicitatis Patronum ſortita es! ita nimirum perire debebas, ut ita pereundo reſtaurareris. Tanti fuit ut tali morbo laborares, ut per talem medicum raveleſceres. Quod olim de *Scipionum* gente Roma viticinata eſt, eam nempe natam ad *Carthaginem* delendam; hoc de Tua vetuſtiſsima Gente, *CROMWELLI*, candidiore ſenſu vaticinabimur; eam certè natam, immò deſtinatam ad *Angliam* reſtituendam, & poſt tot annos, ad *Anglorum* rurſus manus nativa ſceptra revocanda.

—— Neque enim hæc sine numine Divum
Eveniunt——

Nec est (si res ab origine retexuerit) qui inficias ibit hæc cœlitùs eveniſſe. *Romano* quodam in Bello ferunt duos juvenes albis ſublatos equis, qui fortitudine, & formâ ſupra cæteros eminentes, in illo prælio multa ſpecimina mirandæ virtutis ediderunt: ſed demùm confecto prælio cùm juſsiſſet *Imperator*, ut remunerandi gratiâ coram ſiſterentur; quaquaverſùm milites emiſsi, qui juvenes illos conquirerent; ſed cum diutiſsimè conquiſiti nequaquã comparerent, fides habita eſt, fuiſſe *Divos*, & ad Imperatoris ſuppetias, cœlo devolaſſe. Hiſtoriæ non invitus aſſentio; nec eſt cur antiquitati detrahamus, cum miracula noſtri ſeculi recentiora recordemur: nec ullus eſt, ut opinor, in hoc cœtu venerando qui dubitaverit *SUPREMUM NUMEN OLIVARO* toties opitulatum, quoties ſtupendos victoriarum tot eventus æqua mente meditatur.

Induiſti arma, corruptelas Regentium Caſtigaturus; ſuſcepiſti Bellum, majori cum ſtudio promovendæ Pacis; nuſquam tui profuſior ſanguinis, quã parcior alieni. In faſciis vagientẽ Rempublicã formaſti, & in teneris eru-

erudiiſti, dignũ Te præbens ut adultioris fores *Dominus*, cui Pupillo præfuiſti *Pædagogus*. Hinc tibi ſe *dedit* Reſpublica, tu illam ſibi *reddidiſti*, & dantem tam firmiter obligaſti, ut in hoc, Te majus accepiſſe Beneficium an dediſſe, dubitemus. O pulchrum & inauditum ad Principatum progreſſum! non ambitio te tua permovit, ſed noſtra neceſsitas ad imperium protruſit; ſiquidem conſentaneum fuit ut iſtius populi tandem *Princeps* eluceres, cujus diutiſsimè *Propugnator* extitiſti. Re; epiſti authoritatem ut merentibus impertires, incertum faciens utrum magis expediret Civibus Tuis, tibi *plura debere*, vel te civibus *plura præſtitiſſe*. Illa tibi eſt indulgendi dexteritas, ut *inimici* vel *inviti* laudaverint: Illa tibi eſt Benefaciendi facultas, ut laudatum vel ipſe livor æmuletur. Agedum! *Peculiares* habeant ſibi laudes Plagæ remotiores; ſit *Titus* ſui ſeculi delectamentum, noſtri prædicabitur *OLIVARUS* oraculum. Cujus famam nemo auribus admiſit, quin & oculis intueri concupierit; nemo viderit quin magis honorificè ſuſpexerit. Nemo eſt, *OLIVARE*, qui tecum conſuetudinem egit, quin amantiorem Tui dimiſeris, quum amantem tuorum receperis. Hinc Potentiores plerumque Principes certatim te beneficiis

obruunt, vel quadam causâ necessitudinis ambientes communi fœdere tecum copulari.

Et hic est (sereniſsime princeps) velociſsimus ille vigor *ingenii* Tui, graviſsimumque pondus *Judicii*, quod sapientum volumina digesit, & priſcorum chartas concoxit. Si de *Memoriæ* tenacitate quid loquerer, incredulitatem multorum moverem, nec paucos in ejus admirationem provocarem; Nam certè non *Cæsari* promptior, non *Lucullo* paratior, nec *Hortensio* fœlicior erat Recordatio; si cum memoria *Facundiam* conjungerem, in Immensum Pelagus descenderem, Imbecillitatem meæ linguæ proditurus, dum vim vestræ prædicavero. Hæreret hic politiſsimus ille *Plinius*, & in hac Thesi, calamiſtrati *Demoſthenis* Cincinni turbarentur. Nemo enim est oratorum, qui se cordatius, læta jucundius, facunda cultiùs expreſsit, aut quod mage liberum est, excogitavit. Non *Sulpicius* acrior in concionibus, nec *Majoris Gracchi* modestia commendabilior. Quænam illa gratia sententiarum? quænam illa veritas inaffectata verborum? quis enim est, auditores, qui facienda celerius dixit, aut dicenda consultius præponderavit? præponderata maturius diſposuit? aut diſposita paratius expe-

expedivit? Et hic eſt proficuus eloquentiæ Tuæ proventus, ut quæ *loquendo* præcepiſti mox *agendo* confirmaveris; Nam non ſatis habes Tuis Imperiis proſpicere, niſi cor & arcana penitiùs introſpexeris aliorum. Et in hoc quidem neminem novi qui tecum jure conferendus, quandoquidē nemo ſit ad præſentiendum ſagacior, nemo rurſus ad pævidendum vigilantior. Tecum collatus deliraret, & ſe luſcum fateretur Argus *centoculus*, nec è latebris prodiret ille *Lynceus* quem poetæ fabulantur ſepta parietum, & arborum truncos viſu trajeciſſe. Fama eſt de quodam *Siculo*, qui ſpeculâ ſolitus eſt conſpicari naves quæ portus *Affricæ* ſubintrarunt, nil tot intervallo locorum, nil tot Regionum ſpatiis intercluſus; eſto: nec eſt (auditores) cur hæc adeo miremini, cùm majora veſtris oculis obverſentur. In exemplum Te Principem ciemus *OLIVARVM*, qui de ſublimi mentis ſpecula remotiora vicinis ſenſibus ſoles adjungere, & quæ longinqua præſentius intueri. Tu, Princeps oculatiſsime, non modò per *Affricæ*, ſed & extremos Indorum portus, porrigis acies oculorum, immo dirigis acies armatorū, hinc Regū fibras, Regionū *illinc* fodinas indagando.

Quid de corporis loquar temperamento, de quo non mediocrem laudem retuliſti? *Virtus*

erat tua quæ meruit Imperium, sed virtuti corporis *Decor* addidit suffragium; illa præstitit ut oporteret te fieri principem, iste vero ut deceret. Nec in hoc opinionem doctissimorum fefelliſti, qui perhibent ipsam Naturam magnis mentibus hospitia congruentia metari, & ex vultu hominis, & strenuitate membrorum posse conjici quantus ille spiritus intrârat habitator. In Te videlicet uno quasi gemini, Martis & Apollinis vultus (uti scripsit *Calphurnius*) exprimuntur. Enitet in Te talis oris habitus, qualem & hostes formidare, & vereri possint Improbi, boni vero non possint non amare. Istiusmodi figuram finxit *Achilli* Colophoneus vates; *Æneæ* talem finxit *Virgilius*; Historiæ talem duci tribuerunt *Affricano*, quam sic Augustam esse voluerunt, ut nil sit amabilius, & sic rursus amabilem, ut nil augustius adderetur.

Et hæc sunt corporis Tui lineamenta, quæ non adeò laudaveram, nisi majorem contemplarer mentem quæ corpori præsidet, & ad arbitrium, ceu mancipium moderatur. Illa Tibi divina mens est quæ philosophico scientiarum statumine fixa & ferruminata est, quam nusquã ridentis fortunæ blanditia allexit, nec fulminantis rigor ab instituti tramite detorsit. *Ulyssem* fabulæ constantem mirantur

rantur, quod utramque ſibi aurem cautiùs obthuraverit, ne ſyrenum lenociniis incantaretur. At Tu multò conſtantior, qui oculorum, aurium, manuumq; munia, mirum eſt quam diſpeſcueris ad varietatem commodè, quàm diſpenſaveris ad occaſionem moderatè. Oculos in propriis erroribus habes acutiſſimos, alienis qui noviſti connivere. Aurem unam tantùm præbes accuſatori, ut alteram ſervares accuſato. Manibus eam legem præſcribis, ut ad rejiciendum munus ſemper ſiniſtra contrahatur, & ad omnino dandum dextra manus explicetur. Et quanta ſunt (nobiliſsimi vos Auditores) hæc ſpectatæ virtutis argumenta? Quàm fortiter & excellentiſsimè jacta futuræ gloriæ fundamenta? nam quas obſecro victorias polliceri ſibi, quos non ille triumphos ſperare potuiſſet, qui diutius in animo ſuo tropæa erexerat, braviumque reportaverat?

Nec præconiorum minimum eſt, *OLIVARE*, quòd in maxima fortuna minor eſſe videris, quia difficilimum eſt abundare potentia, & indigere arrogantiâ. Nam proculdubio cum per *Europam* vix ſit alterum Imperio noſtro magnificentius, ſic non alter eſt Imperatore Te noſtro moderatior; ac ſi in tanto ſublimitatis faſtigio magis bonus quam

magnus audire desideraveris. Nec in illa plenitudine Potentiarum, licere tibi censes quicquid collubitum est; sed sic utrumq; temperas, nt nil libeat quod non æquissimum censeatur. Quid enim detestabilius illa voce *Neronis*, quâ gloriari consuevit neminem ante se Principem noviſſe quantum sibi liceret? nec minùs execrandum dogma est istius Mulieris, *Si libet licet*, quâ, *Julia Antonium Caracallam* Privignum legitur ad incæstas Nuptias impulisse. Tibi vero concultatis hisce portentis, & à tergo longè relictis, occurrit Illa *Pallas Homerica*, quæ prudenter admonet ut in Teipsum agas *Principem*, in alios verò *Parentem*. Et in hoc certè tam verè voti compos evasisti, & affectus tam strictè subjugasti, ut vix statui potuerit, fueriſne severior in te censor, an mollior in alios Magistratus.

Nec illa mollities offecit Justitiæ, nec severitas derogavit Indulgentiæ, quas æquissime conjunctas ita subditis extulisti, ut non ab hac, Impunitas præsumatur semper peccanti, nec ab illâ, venia desperetur tandem pœnitenti. Et ut hunc disciplinæ tenorem in teipso semper exerces, sic in officialibus omnino requiris; ea tamen moderatione, ut dubium sit, utrum plures à vitiis tua deterreantur authoritate, vel ad virtutes tuo pel-

pelliciantur Exemplo. Vetus effatum fuit *Cyri*, quod conveniret Imperatori melior illis eſſe quibus imperaret. Tu vetus effatum ſolus adimpleviſti, in quo tot cumulatæ bonitatis ſpecimina redundârunt, quæ vel ſequi potuerit poſteritas, & ſi rerum natura pateretur, ipſa vel antiquitas adſcribi ſibi voluiſſet. Nec ſane mirum eſt, quum tua vita perfectiſsima *Cenſura* ſit, ad quam Tui dirigantur, conformentur. Nam nihil eſt quod mortales mirantur candidiùs, imitantur liberius, aut retinent tenacius, quam quæ viderint à Principe factitari. In ſumma, Magnificum eſt quod ab omni vitio *Teipſum* repreſſeris, ſed magnificentius quod *Tuos*; quanto enim difficilius eſt alios præſtare bonos quã ſe, tanto laudabilius eſt, cum ipſe ſis optimus, ſervos & ſatellites circa te Tui ſimiles effeciſſe. In magna nempe fortuna nil tectũ, nil occultũ fore noviſti, ideo talẽ te *Domi* præbes, qualis *foras* ubiq; prædicaris.

Et hæc eſt *Icon Baſilicæ* Tuæ (pientiſsime Princeps) ex qua, veluti olim in ſacris illis *Eleuſiniis*, rabulæ, vinolenti, Ganeones, & nefarii quotquot prẽconũ voce ſubmoventur & eliminantur. Hic eſt inquã color, & admodum candidus *Albæ-Aulæ* character, cum proculdubio ſit viduis & derelictis Eleemoſynariũ; univerſum Legationibus Theatrum; certiſsimum conſiliis Oraculum; Generoſum moribus ſeminarium;

Castissimum Continentiæ Cœnobium; Glorioſum Supellectili Gazophylacium. O proprie digna Te principe præconia! & ideo propria quia Genuina; cum constet non Tibi Domum, sed Te Domui tantas attulisse dignitates. Quod si secundum veterum sententiam, patriæ Princeps utilior sit qui seculi sui mores instaurauit, lapsamq; revocavit disciplinam, quam qui Regni terminos protulerit, aut mænia lapsa redintegraverit: Tunc æquissimum est ut Tu Princeps ab *utrisq;* palmam vendicares, qui non modo seculi Tui mores ad normam Tuorum correxisti, sed & ulterius *Britanniarum* stationes propagasti. Propagasti certè, & brevi tam mirificè profecisti, ut qui tecum conferatur nec antiquitas habuerit priorem, nec parem forsitan posteritas habitura est. Quod si mos ille nobilissimus apud nostrates invaluisset, quo *Romani* duces, *Macedonici, Cretici, & Numantini*, de subactarũ gentiũ vocabulis *adoptivum insigne* adsumebant, Tituli & Tropæa pauciora forsan in illorum scriniis annalium, quam in vestri *Palatii parietibus*, ostenderentur.

Ampullas igitur temperet ostentatrix illa vetustas, & parcius in posterum suos Reges ebuccineur. Magnus *Alexander*, qui Mundum, sed major *OLIVARVS*, qui seipsum

ipſum ſubegit, & de victis cupiditatibus toties triumphavit: *Anglorum* magni Reges olim qui vexillis explicatis ad oras uſq; *Palæſtinas* penetrarunt; ſed Major *OLIVARUS* qui fortiter parta fæliciter ſervavit, & hinc conſiliis, illinc armis,

---Britonum *ſupra* Garamantas & Indos
Protulit Imperium.-----

Anglorum magni Reges olim, qui victores per *Galliam* militares turmas intulerunt; ſed Major *OLIVARUS* qui cum tanta Gente nuperum Fœdus percuſsit. Dignus olim cenſebatur adoreis qui primus *Albam* Roſamque *Rubellam* conjunxit; ſed quibus ſertis, quibus adoreiscoronandus *OLIVARUS*, qui non modo Roſarum, ſed & Regnorum vincula contexuit, immo ferruminavit? *OLIVARUS* ille qui domi pacem & foras fœdera cum tot præpotentibus nationibus contraxit, ut in ſocietatem noſtram Europæus orbis veniſſe videatur; ut una cum fœlix eſſet *Britannia*, tota etiam *Europa* fœlix eſſe judicetur.

Quid plura commemorem, vel quæ Principatu Tuo præclara geſsiſti? Creaſti *PROCONSULARES*, & in magnum *CONCI-*

CILIUM cooptaſti; quos cum non potueras penitus adæquare Tibi prout velles, adeo tamen in edito collocaſti, ut tantum ſupra cæteros, quantum ſolum infra Te cernerentur. Accidit ut hic quidem prout corporibus, quæ quamlibet excelſa, procerioribus tamen admota, decreſcant: Ita dignitates vel altiſsimæ collatione Tuæ *CELSITUDINIS* quaſi deprimantur; quantumq; propius ad magnitudinem Tuam aſcenderint, tantum de ſua deſcendiſſe videantur Illuſtres faces quas *Illi* conſequuti, ſed Illuſtrior *Ille* ſub quo meruerunt. Venerabiles habendi qui tale munus acceperint; ſed venerabilior ille qui talia munia merentibus ultroneus erogavit.

Sic optimus, ex optimis Tibi *Socios* adſciſcis, in nullis alibi diligentior quam in amicis deligendis. His Honores, Illis officia, aliis Provinciarum Cuſtodiam commendas; unde fit quod per Tuas Ditiones abundent plurimi *Ducum*, ad Authoritatem; plurimi *plebis*, ad diſciplinam; plurimi *Primorum*, ad exemplum. Et quod facit ad laudem, ita clemens diſciplina eſt, ita audax militia eſt, ita duces in authoritate moderati, ut authoritatem moderatio non minuat, ſed authoritatem [moderationi contribuat; Audacia Mi-

militiæ non officiat, ſed audaciores militia promoveat; clementia diſciplinam non labefactet, ſed inter ſuos nititur cancellos coercere, conſervare.

Et hi ſunt (auditores eruditiſsimi) pacis hodiernæ proventus, hoc eſt præſentis fælicitatis incrementum. Præclara fertur *Catonis* oratio de luſtri ſui fælicitate: Tunc enim ad *Cenſorum* laudes pertinebat, ſi granaria meſſes adimpleſſent; ſi vindemiæ redundaſſent; ſi fœcundius Oliveta defluxiſſent: ſed quantum tum laudis ad te pertinet, CENSOR OLIVARE, ſub cujus fæliciſsimis auſpicijs *Britannia* tuta conquievit? ſub cujus patrocinio Reſpublica tantum ſibi ſecuritatis gloriæq; pollicetur, ut cum *Cicerone*, mutatis mutandis, acclamem,

O fortunatos Te PROTECTORE *Britannos!*

Aſſurgunt crebrius Ædificia perpulchra, perpolita; & ubique civitatis Pomœria dilatantur; Inſtruuntur apparantur Bellicoſiſsimæ *naves*, cunctis ex portubus Oceanum petituræ. Auctior indies *Theologorum* numerus; raro ſeculo *frequentiores* conciones, *ſinceriores* certe nullo. *Artes* nobiliores promoventur, & repullulantes *Literarum* ſurculi,

diffusius radices agunt, *Tibi* fruges promissuræ, undè succum, sanguinemque receperunt. Unà cum Scholis & Academiis *Templa* suas turres eminus ostentant, & jam præ *lætitia* gestiunt monumenta quæ nuper *lachrymis* desudarunt. Quod erat ingens *Cæsaris* Elogiũ, tibi concinne competet, OLIVARE, cùm sis *Cæsarianæ* par decus Magnificentiæ Gloriatus est ille se *Romam* invenisse *lateritiã*, sed reliquisse Marmoream: sed nobis fas est (absit arrogantia) majora de Te gloriari. Venisti (nobilissime Rector) ad Rempublicam tumultuantem, perturbatam; fecisti pacificam, præstitisti quietam. Venisti ad duas, immo tres potentissimas gentes à se membratim divisas & divulsas; restituisti conjunctas, reddidisti concordes. Venisti denique ad *Schaccarium* longe pauperrimum, & penitus exhaustum; vidisti nuper instauratum, visurus indies opulentius.

Nam constat abundè quod quum Protector *solicitationi pluri-morum reipublicæ primum præficiebatur,* Angliam *cum ditionibus suis fuisse plus quam* ter decies centum mille libris *obœratam,* &c.

Sic publicos errores sanas prout *Medicus*, & quæ non sanare est vulnera, rescindis ut *Magistratus*. Tuo cõprobatæ judicio novæ leges reformandis vitijs & confirmandis virtutibus oriuntur; Causarum cunctabundi protelatores amoventur, & ubique justitiæ tribunalia muniuntur. *Gordios* & inextricabiles legum griphos enodandos, & obscuriores leges in vernaculam

naculam transferendas præcepiſti. Quæ bonæ ſunt diplomate ſanxiſti, ne in perpetuum moriantur; quæ malæ ſunt, radicitus extirpaſti, ne in poſterum reviviſcant: quod in illis vacuum fuit, ſuppleviſti; quod ſuperfluum fuit amputaſti, cautiſsime præcavens ne legibus fundata Reſpublica, ſuis legibus obruereur. *Tibi* querela fuit olim ſe perdidiſſe diem, quo, nil Boni feciſſet: Sed Tu cum meliori compendio dies redemiſti, & nos quotidiè multiplicata Benignitate cumulâſti. Breviſsime; conſuluiſti nobis uti pater, protexiſti noſtra prout Princeps; a litigiis fora, & à latrocinijs vias præmuniens, & ſic publicę ſaluti proſpiciens, ut nullum boni timeant, & a nullo mali timeantur. Ea deniq; ſerenitas, ea pax, ea fides, ea rerum moderatio eſt, ut toti pateat orbi, quantū alias noſtra gens, tantum & OLIVARUM ſuam gentem virtutibus illuſtraſſe.

Macte igitur illuſtriſsime Princeps; Qui nobilitate *Cecropen*, fælicitate *Polycraten*, opibus *Cræſum*, copiis *Xerxen*, victorijs *Cæſarem*, triumphis *Pompeium*, præceſsiſſe meruiſti. Macte igitur, & tua Bellica virtus eminus per terrarum orbem hoc notabile inculcet documentum, quod *TUTIUS SIT AMICITIAM BRITANNIARUM*

COLUISSE, QUAM JUSTITIAM PROVOCASSE. Timeant in posterum quicunq; nostratũ fælicitatem turbaturi, & sciant nos habere non modo *Nestorem*, sub cujus consiliis, sed & *Achillem*, sub cujus hasta securi protegamur. Erigite vos igitur Indigenæ, & unanimes in hanc fiduciam coalescite. Patria vobis premitur? Eccum compatriotam qui sublevet; *Ecclesia* vacillat? Eccum vindicem qui defendat; Ruinæ timentur? Eccum opificem qui reficiat. Plura prædicaturum temporis angustia repressit, nec certe moribus aut modestiæ consentaneum censeo (nobilissimi vos auditores) patientiam vestram ulterius exercere. Vidistis tamen interea quam candide, quam sincere singula vobis exposui; quam nihil hic finxi, quam nihil allevavi, immo quam multa consultò præterij, ut ad finem tandem festinarem. Nam certe verecunde fatemur, OLIVARE, plura deberi vestris auspiciis, deberi certe fatemur, quæ cum nec pro magnitudine vestri meriti, vel modulo nostri temporis queamus *verbis* absolvere, *votis* absolvemus. Votis instabimus inquam frequentibus, ut tu *Nestore* vivas diutior, *Augusto* major, qui *Trajano* vixisti melior: undiquaque surgant *Colossi*, & passim statuæ tuo nomini dedicentur, quales Heroibus olim ob immensa

menſa erga Rempublicam benefacta gratulabunda dicaverat antiquitas: nec minus *Britannia* CROMVVELLIORVM quam olim *Roma Cæſarum, Brutorum, Camillorumque* ſtatuas erigebat. Auratæ tuæ ſurgant *effigies* foro, ſed *facta* vel auro, vel ære perenniora, in *Anglorum* pectoribus & animis cælentu, inſculpantur. *Quibus* æquiſimũ eſt OMNIPOTENTEM IEHOVAM precibus importunis ſolicitare, ciere, ut ad *ipſius* gloriam, Religionis Patrocinium, reipublicæ pacem, diutiſsime vivat OLIVARUS, vivat OLIVARUS.

FINIS.

PAEAN VOTIVUS
IN DIEM
INAUGURATIONIS
Serenissimi nostri Principis
OLIVARI.
M DC LVI.

FUnde Flores, Thura crema,
Omne sit lætitiæ Thema,
Facessat quicquid sit amari:
Tuba sonet, & Tormentum,
Et grande fiat Argumentum
Invicti virtus OLIVARI.

Rediit Dies nam Dierum
Qua post tot eventus Rerum,
Anglus *rursus adoptavit*
Anglorum *Sceptra*; DEO *dante,*
Et Populo solicitante
Ad id quod diu recusavit.

Anglus

Anglus *igitur* TE DEVM,
Et Scotus *canat Jubilæum*;
Hibernus *discat modulari*
Nativâ Lyrâ, vel avenâ,
Et novâ pangat Cantilenâ
Invicti pugnas OLIVARI,

Qui Pelagi pacavit Gentem,
Neptuni *vendicans* Tridentem;
Sub Duo *magnus mundi* Stator,
Dum tot per Bella Victor ivit,
Et Nos in Pace stabilivit,
Terrâ & Mari Triumphator.

FINIS.